



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Arelaten. Archiepiscopo & Suffraganeis ejus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

re. Eapropter &c. usque ad verbum assen-
su, auctoritate vobis apostolica indulge-
mus quod si Episcopi, in quorum dioecesi
Ecclesiæ parochiales habetis, in fata con-
cesserint, & Ecclesiæ vestras interim va-
care contigerit, Capellani in ipsis insti-
tuendi, ne ordinationes Ecclesiæ inu-
tiliter differantur, ad præsentationem
vestram ab eo qui sede vacante vices E-
piscopi deberet de jure supplere, sine con-
tradictione qualibet admittantur, qui vo-
bis de temporalibus, Episcopis vel eorum
officialibus de spiritualibus debeant re-
pondere. Adiicimus etiam, quod sicut
rationabiliter consilio & providentia Capi-
tuli vestri Ecclesiæ de Windesores ad
cellarium & Ecclesiæ de Alricheseia &
Ecclesiæ de Herford & Ecclesiæ de
Nesinges ad vestimenta fratrum vestro-
rum invenienda, Ecclesiæ vero de Epin-
ges & de Wdeford & de Neclesuuelle
& de Luchenton ad usus sacræ vestræ
de assensu dioecesani Episcopi assignastis,
ita vobis vestrisque successoribus in per-
petuum permaneant ad hos usus. Et ne
impostorum hæc assignatio vestra possit
vel debeat in aliquo mutilari, ipsam
auctoritate apostolica confirmamus &
præf. &c. Decernimus ergo &c. conce-
ssionis & confirmationis &c. Datum La-
terani VI. Idus Iulij.

F R A T R I R A I N E R I O,
apostolica sedis Legato.

Epiſt. 122.
Creat ipsum
Legatum apo-
stolice sedis in
nonnullis pro-
vinciis Galli-
canis.
De fratre Rai-
nerio vide lib. i.
epiſt. 92. 93. 115.
249. 395. 449.

LIcet solitæ solitudinis locum af-
fectes, fugans vel fugiens potius
tumultus secularium potestatum, ut Ra-
chelis fovearis amplexu, & in lege di-
vina jugiter mediteris, sedens fecus pe-
des Domini cum Maria, cum tamen in
lege mandatorum ipsius legeris quod
obedientia præferenda sit victimis, &
proximum diligere debeas ut te ipsum,
nec potes nec debes sic vivere soli tibi
ut vel recedas ab obedientia præsidentis
vel proximorum salutem negligere vi-
dearis, sed à contemplatione Mariæ ad
actionem Martha teneris saltē ex obe-
dientiæ virtute descendere, ut in Lia
Rachelis sterilitatem tua prædicatione
fœcundes, dum quod in solitudinis &
claustri silentio didicisti, juxta man-
datum evangelicum prædicaveris super
tecta, & talenta tibi credita erogaveris
ad usuras. Nos autem, qui, licet immeriti,
vices ejus tenemus in terris qui disci-
pulis suis officium prædicationis injun-

xit, Ite, inquiens, in orbem universum, pre-
dictate Evangelium omni creature, plenè de
tua conscientia & religione confisi, ple-
næ tibi legationis officium per Ebren-
denensem, Aquensem, Arelatensem, &
Narbonensem provincias duximus com-
mittendum, corrigendi & statuendi tam
in monasteriis quam alis Ecclesiis que
correctione vel institutione cognoveris
indigere, audiendi & decidendi vel etiam
committendi cauſas, & absolvendi eos
qui ob violentam manuum injectionem
in Clericos vinculo sunt excommunicationis
aſtričti, si ex injectione tali vel
enormis læſio vel homicidium non fue-
rit subsecutum, confutandi hæreticos,
& cogendi eos redire ad catholice fidei
unitatem, & plenæ legationis officium
super his & aliis exequendi, & percellen-
di pœna canonica contumaces, indul-
gentes tibi auctoritate apostolica libe-
ram facultatem. Nulli ergo &c. conces-
sionis &c. Datum Laterani IV. Idus Iulij.

ARELATEN. ARCHIEPISCOPO
& Suffraganeus ejus.

IS cujus omnes viæ misericordia sunt
& veritas testante Psalmista, cuius
omnia verba doctrinam sapiunt saluta-
rem, cuius opus exemplum nobis vita
sanctoris ostendit, licet solo verbo vir-
tutis sua possit & poterit universa, ut-
pote qui dixit & facta sunt, mandavit
& creata sunt, operarios tamen in vi-
neam suam & messem induxit, & præter
sacrum duodenarium discipulorum nu-
merum, quibus potestatem ligandi con-
tulit & solvendi, alias septuaginta duos
elegit, & binos illos ad prædicandum
direxit, indulta eis calcandi super scor-
piones & regulos potestate, nobis
relinquens exemplum ut vestigia ejus,
quantum fragilas humana permittit,
in debitæ humilitatis devotione sequa-
mur. Hoc sanè apostolica sedes, quæ
cunctarum Ecclesiæ à Domino in bea-
to Petro magisterium obtinuit & prima-
tum, assidua meditatione revolvens, mul-
tos in partem creditæ solitudinis evo-
cavit, ut in diversis mundi partibus per
eorum præsentiam ipsius absentia sup-
pleretur, & defectum unius multorum
relevaret affectus, quorum solicitude
diligens & solicita diligentia expe-
ditius in singulis provinciis & eradicare
noxia, & profutura plantaret. Nos
etiam, qui, licet immeriti, vicem Christi

Epiſt. 115.
Vi Rainetur
feldis apoth. Lo-
gatum rever-
ter & benignè
tractat.

DECANO ET CAPITVLO
Aquilegiensi.

tenemus in terris, nostram insufficien-
tiam attendentes, quorum mentem di-
versæ diversarum Ecclesiarum jugiter
necessitates urgent, quorum corpus assi-
dui conquerentium clamores affligunt,
præter eos quibus pars est solicitudinis
nostræ commissa, cùm necessitas exigit,
vel requirit utilitas, in diversas provin-
cias Legatos à nostro latere destinamus,
quibus tanto amplius credatur à subdi-
ctis, quanto specialius eis apostolica sedis
auctoritas delegatur. Dilectum itaque
filium nostrum fratrem Rainerium, vi-
rū virtutē probatā ac conversationis ho-
nestā, Deo & hominibus obtenuit suā
religionis acceptum, cuius scientiam &
industriam in similibus jam sumus experi-
ti, commisso ei plena legationis officio
ad partes vestras duximus destinandum,
ut evellat quā evellenda cognoverit, &
planter quā plantatoris cognoverit of-
ficio indigere, specialiter autem & præ-
cipue ad confutandam hæreticam pravi-
tatem assurgat, & scorpionum illorum
aculeos omnipotens Dei virtute repre-
mat & conculceret, qui virus draconis in
aureo calice Babylonis propinan, haben-
tes, secundūm Apostolum, speciem
pietatis, virtutem autem ejus penitus
abnegantes; quorum principium religio-
nem palliat, medium non docet sed se-
ducit indoctos, finis perpetuum interi-
um comminatur: qui etiam secundūm
evangelicam veritatem ad nos veniunt
in vestimentis ovium, intrinsecus autem
sunt lupi rapaces. Monemus igitur fra-
ternitatem vestram & exhortamur in
Domino, ac per apostolica vobis scripta
districte præcipiendo mandamus, qua-
tenus eundem Legatum sicut personam
nostram recipientes humiliter & devotè,
quā ipse inter vos statuenda duxerit seu
etiam corrigenda, recipiatis humiliter,
& inviolabiliter observetis; præsertim
autem contra hæreticos taliter ipsi cure-
tis adesse, ut per solicitudinem vestram
& diligentiam ejus, vobis cooperantibus,
de partibus vestris gens extirpetur
iniqua, & confutata hæreticorum perfida,
doctrina prævaleat salutaris, & fal-
sis dogmatibus reprobatis, vivat & inva-
lescat apud vos veritas in æternum. Da-
tum Laterani Nonis Iulij.

In eundem modum Narbon. Archiepisco-
po & suffraganeis ejus, Aquen. Archiepisco-
po & suffraganeis ejus, Ebredunen. Ar-
chiepisco & suffraganeis ejus.

Constitutus in præsentia nostra di-
lectus filius P. Ecclesiæ vestræ Præ-
positus sua nobis conquestione monstra-
stravit quod vos ipsum villa de Dranis,
quæ est inter beneficia vassallorum, ad
ipsum ratione præposituræ de jure spe-
ctante, sicut in privilegiis vestris perspe-
ximus contineri, prætermisso juris ordi-
ne contra justitiam spoliastis, eam vene-
rabili fratri nostro Patriarchæ vestro
motu propriæ voluntatis in dicti Præpo-
siti præjudicium assignantes. Cùm itaque
non sit alicui consulendum cum alterius
detrimento, universitati vestræ per apo-
stolica scripta mandamus & districte
præcipimus quatenus præfatam villam
cum omnibus pertinentiis suis & fructi-
bus inde perceptis & omni integritate
in qua tempore donationis exitit, me-
morato Præposito restituere non tarde-
tis; famulos quoque à suis predecessorib-
us infeudatos quod minus dictus Præ-
positus instituere possit, & etiam infeu-
dere, prout ad ipsum de jure pertinet,
impedire minimè præsumatis. Alioquin
dilecto filio G. Tergestino electo præci-
piendo mandamus ut ipse vos ad ea
quæ præmisimus, prout justum fuerit,
per censuram ecclæsticam appellatione
remota compellat. Nullis litteris &c.
Datum Laterani IV. Idus Iulij.

POPON. CANONICO FRISAGEN.

Cum de consuetudine Friesagen. Ec-
clesia fructus præbenda tuae pro-
ponaris haec tenus, sicut & alij Canonici
faciunt, liberè percepisse, nolentes ut
super his juri tuo processu temporis præ-
judicium generetur, ut eos de cetero,
sicut fecisti haec tenus, percipere valeas
& habere, non obstante si quid in absen-
tia tua factum est in præjudicium tuum
contra priorem consuetudinem Ecclesiæ
memorare, auctoritate tibi præsentium
indulgemus. Nulli ergo &c. Datum
Laterani II. Idus Iulij.

ABBATI ET CONVENTVI
de Vualthan.

Cum à nobis petitur &c. usque ad
verbum assentu, jus quod habetis
in Ecclesia de Scerninges, sicut illud ju-
ste & canonice possidetis, auctoritate
Ggg iij

Epist. 124.
Vi Præpositorum
suum spolia-
tum restituunt,

Epist. 125.
Vi Præbenda
sue fructus per-
cipiat.

Epist. 126.